

Tekst 2


Deianira verdenkt Hercules van ontrouw.

134 Longa fuit medii mora temporis, actaque magni
135 Herculis implerant terras odiumque novercae.
136 Victor ab Oechalia Ceneo sacra parabat
137 vota Iovi, cum Fama loquax praecessit ad aures,
138 Deianira, tuas, quae veris addere falsa
139 gaudet et e minimo sua per mendacia crescit,
140 Amphitryoniaden Ioles ardore teneri.
141 Credit amans Venerisque novae perterrita fama
142 indulisit primo lacrimis flendoque dolorem
143 diffudit miseranda suum; mox deinde "Quid autem
144 flemus?" ait "Paelex lacrimis laetabitur istis.
145 Quae quoniam adveniet, properandum aliquidque novandum est,
146 dum licet et nondum thalamos tenet altera nostros.
147 [Conquerar an sileam? Repetam Calydonam morerne?
148 Excedam tectis an, si nihil amplius, obstem?]
149 Quid si me, Meleagre, tuam memor esse sororem
150 forte paro facinus, quantumque iniuria possit
151 femineusque dolor, iugulata paelice testor?"
152 In cursus animus varios abit; omnibus illis
153 praetulit imbutam Nesseo sanguine vestem
154 mittere, quae vires defecto reddat amori.

155 Ignaroque Lichae quid tradat nescia luctus
156 ipsa suos tradit blandisque miserrima verbis
157 dona det illa viro mandat. Capit inscius heros
158 induiturque umeris Lernaee virus echidnae.
159 Tura dabat primis et verba precantia flammis
160 vinaque marmoreas patera fundebat in aras;
161 incaluit vis illa mali resolutaque flammis
162 Herculeos abiit late dilapsa per artus.

Ovidius, Metamorphoses 9.134-162

Afbeelding 1



gravure door H.S. Beham, 1546